Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26897
Copyright: Admont, Benediktinerstift

relucentia aut tamquam myronis bucula ex ere. ita et nos
ut in nostro quodam habitu ueri simus ad alienum habitum adum
brari atque assimilari et ob hoc falsi esse debemus. sed illud uerum
querere quod non quasi bifronte ratione sibique aduersante. ut ex ali
qua parte uerum sit. ex aliqua falsum est. R. Magna et diuina
quedam requiris. que tamen si inuenimus. nonne fatebimur his ipsam
confici et quasi conflari ueritatem. a qua denominatur omne quod ue
rum est quoquomodo nominatur. A. Non inuitus assentior. R. Quid tibi ergo ui
detur disciplina disputandi. uerane an falsa est. A. Quis dubi
tet ueram. R. Sed uera est et grammatica itane ut illa. A. Non ui
deo quid sit uero uerius. R. Illud profecto quod nichil falsi habet. cui
intuens paulo ante offendebare his rebus que nescio quomodo nisi
false essent uere esse non possent. An ignoras omnia illa fabulosa
et aperte falsa ad grammaticam pertinere. A. Non istuc ignoro quidem.
sed ut opinor non per grammaticam falsa sunt. sed per eam qualiacumque sint
Nota quid sit fabula demonstrantur. Siquidem fabula est compositum ad utilitatem delectati
onemue mendacium. Est autem grammatica uocis articulate cus
tos et moderatrix disciplina. Cuius professionis necessitate cogitur
humane lingue omnia etiam figmenta colligere. que memorie
litterisque mandata sunt. non ea falsa faciens. sed de his ueram quandam
docens asserensque rationem. R. Recte sane. nichil nunc curo. utrum
abs te ista bene definita atque distincta sint. sed illud quero u
trum hoc ita esse ista grammatica. an uero illa disciplina dispu
tationis ostendat. A. Non nego uim peritiamque definiendi qua
nunc ego ista separare conatus sum disputatorie arti tribui.
R. Quid ista grammatica nonne si uera est. eo uera est quo discipli
na est. Disciplina autem a discendo dicta est. Nemo autem que di
dicit ac tenet. nescire dici potest. et nemo scit falsa. Ergo omnis
uera est disciplina. A. Non uideo quidem quid in ista ratiuncula
temere concedatur. Mouet me tamen ne per istam copiam uideatur et istas
fabulas ueras esse. Nam et has didicimus et tenemus. R. Numquid nam